

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Consideracio sui I
cum fonte primo

Qui plenissime appetit intelligere qualis est,
talis nimirum debet conspicere,
qualis non est ut ex bonorum forma metiatur
ipse, quanto deserto bono deformis est.

Lucem namque debet conspicere
qui uult de tenebris iudicare.

Lumen intelligencie humilitas aperit,
superbia abscondit.

Gregorius ibidem (V.) in moralibus.

Qui enim plenissime intellegere appetit qualis est,
tales nimirum debet conspicere
qualis non est ut ex bonorum forma metiatur,
quanto ipse deserto bono deformis est.

Ex his quippe quibus plenissime bona adsunt,
perpendit recte, quae sibi minus sunt,
atque in illorum pulchritudine conspicit
foeditatem suam, quam in seipso et potest perpeti
et sentire non potest.

Lucem namque debet conspicere,
qui uult de tenebris iudicare,
ut in illa uideat quid de tenebris aestimet,
per quas uidere praepeditur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 24.8 (CCSL
143B, M. Adriaen ed., pp.1198-9, ll.40-48).

Lumen enim intellegentiae humilitas aperit,
superbia abscondit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 25.12 (CCSL
143B, M. Adriaen ed., p.1256, ll.49-50).